

nam illam apud nos Christianos esse debere, nisi perperam & absurde non negamus.

TH. XVI.

Consistit autem ille plenè in hoc, ut quemadmodum Philosophiæ theoreticæ certa præsupposita à Theologia subministrantur; ita Philosophiæ Practicæ talia simulq; præcepta ex eâdem communicentur, ut non minùs hæc in actionibus tutius, quàm illa in Scientiis rectius progredi possit: Ceu de his omnibus mox ex Exemplis clariùs patebit.

III. Status
Christiani.

CAP. II.

De

Trium horum Statuum Usu
in Moralibus.

TH. I.

U^Sus hic cum longè sit amplissimus, ita tamen est distributus, ut in diversis Exemplis jam ad Statum animalitatis & humanitatis, jam ad Statum humanitatis & Christianismi, jam ad omnes tres pertineat; quam varietatem & nos in sequentibus non tantùm observabimus, sed & eodem ordine, retrogrado tamen, cum à perfectioribus sit incipiendum, jam proponemus.

TH. II.

Ad Statum animalitatis & humanitatis spectat antiqua Stoicorum distinctio inter τὰ πρῶτα κατὰ Φύσιν, καὶ τὰ Δευτέρα, seu prima & secunda Naturæ, scilicet dictamina: de quibus vide Ciceronem II. III. & IV. de Finibus & in I. Academ. question. Gellium L. XII. c. 5. de applicatione verò eorundem ad exempla Senecam passim. E junioribus eandem distinctionem non tantùm adducit sed & plenius secundùm Gellii delineationem deducit Grotius L. 1. de J. B. & P. cap. 2. §. 1. ita, ut per Prima Naturæ, simul atq; natum est animal, ipsum sibi concilietur & commendetur ad se conservandum, atq; ad suum Statum, & ad ea, quæ conservantia sunt ejus Status, diligenda; alienetur autem ab interitu iisq; rebus, quæ interitum videantur asferre: post hæc cognita sequi notionem convenientiæ rerum cum ipsâ

B

ratio-